



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

De Synodo archiepiscoporum apud patriarcham semel quotannis, & de
vsi eius; item de collecta per prouincias & loca patriarchae subiecta
facienda ad victum patriarchae. Capvt XLI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

De Synodo prouinciali bis singulis annis habenda, & de usu eius,

cum excommunicatione contradicentium.

CAPVT XL.

Vt omnes episcopi bis * singulis annis apud archiepiscopum suum conueniant, vbi omnia quæ in locis suis acciderint, considerent: item confiderent, quæ opus sunt, cognoscantque omnia, & consentiant inter se ad expellendum procul malum, & operandum iustitiam, vt sint excusati in die illo tremendo, sitque hæc eorum excusatio manifesta, ne excidant e vita in æternum permanente, ac dedecus & ignominiam propter caduca & pereuntia ferant: & quicumque contradixerit, Syndodus eum excommunicat.

* Non est hic Canon temere aut frustra repetitus: quin potius, vt solet saepè in scriptura idem utiliter & necessario repeti, sicut de Synodis prouincialibus bis quotannis habendis ut saluberrime constitutum. sic enim ait Leo epistola quarta cap. 7. iterato Canone repetitum est, in quo decreta est poena excommunicationis contradicentibus, & comprehensum totum negotium huiusmodi Conciliorum, quod positum est in studio expellendi malum & operandi iustitiam. Similis comprehensio facta est in sexto Canone Syndodi Nicæna secundæ: Studium, inquit, & cura erit congregatis, ut diuina & viuifica mandata Dei seruentur.

De Synodo archiepiscoporum apud patriarcham semel quotannis, & de usu eius; item de collecta per prouincias & loca patriarcha subiecta facienda ad victimum patriarchæ.

CAPVT XLI.

Similiter statuimus, vt omnes archiepiscopi semel per annum apud patriarcham suum conueniant, & in eo Concilio faciant ad eumdem modum in omnibus rebus, & in peccatis, quæ in locis eorum contingunt; faciantque hoc, ne in iudicio eorum sit fraus, sed potius tale sit, quale erat

^{ANNO CHRISTI 325.} judicium LXX. seniorum cum filiis Israel , qui causas suas Moysi proponebant: sic etiam & episcopi apud patriarcham facere debent, & dispertiatur benedictio patriarchæ secundum vires omni prouincia , & omni loco magno vel paruo , quæ sub potestate eius sunt , mittaturque ei singulis annis ut inde viuat & alatur. caretque excommunicatione hic Canon.

De clero, vel monacho lapso in peccatum, & vocato semel & iterum & tertio, & non sistente se in iudicio.

CAPVT XLII.

Si quis ex clero , aut ex monachis lapsus fuerit in aliquod peccatum , & vocatus a congregatione , vt videatur causa eius , & purget peccatum suum , dato primum tempore ad veniendum , non venerit ; vocatusque iterum & tertio , obstinate non se sistat , eiiciatur de medio eorum , vt meritus est ; & insuper deponatur : & qui contradixerit , Synodus eum excommunicat.

De reo manifesto dimisso impunito ab episcopo, vel presbytero, vel etiam diacono iudice, quid facere debeat patriarcha.

CAPVT XLIII.

Si ad episcopum, aut sacerdotem, aut diaconum allatum fuerit aliquod crimen manifestum , non opus est testimonii ad iudicandum. Quod si propter affectionem eum qui delictum commisit, non iudicauerint secundum meritam poenam, dimiserintque eum in peccato , & hoc postea patriarchæ patefactum fuerit, oportet vt ipse patriarcha iudicet eum qui crimen commisit , vt meritus est; illumque deponat qui habebat exploratum de crimine , & di-

Concil. Tom. 2.

Mm ij